



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad  
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

**Luxemburgi, 1758**

XVII. De Beneficiis, & Officiis Curatis per Indiarum Iccidentalium Regiones,  
Sæcularibus etiam Clericis, sublato asserto Regularium privato jure,  
conferendis: Apostolicæ Literæ jam editæ ( quas ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74789)

dulgentia ipsi conjuncta, iisdem Vicariis Apostolicis facultas conceditur, ut illam impertiant, atque etiam Sacerdotes alios subdelegare possint, qui eam morientibus elargiantur, servata tamen forma, quæ indicitur in Constitutione hujus nostri Pontificatus tempore in lucem evulgata, quam hinc regulis ad majorem commoditatem adjungimus.

Suadet Legatis Principum, & Nobilibus Catholicis, ne ullos in suis Sacellis celebrare, & ministrare permittant, nisi a Vicariis Apostolicis approbato.

§. 24. Ultimo tandem, cum Anglicanæ Missionis perduratio Principum Catholicorum Ministris, Nobilibus Catholicis, Fundationibusque jam constitutis accepta referri debeat, eos magnopere adhortamur, ut illos tantum Sacerdotes Sæculares, vel Regulares suis Sacellis inservire permittant, qui se prius obtulerint Vicariis Apostolicis, & obtentas ab illis approbationes exhibuerint: secus enim contingere posset, ut præter eorum voluntatem admittatur celebrando Missæ Sacrificio in Sacellis, & ministrandis Sacramentis, qui vel Sacerdos minime existat, vel si fuerit Sacerdos, suspensionis foras, vel irregularitatis vinculo obstringatur.

Clausula, & Derogationes.

§. 25. Porro omnia & singula hujusmodi a Nobis, prout præmittitur, statuta & decreta, quo firmius subsistant, & ferventur exactius, tenore præsentium Apostolica auctoritate, quatenus opus sit, confirmamus, & Apostolicæ firmitatis robore communimus, & districtè servanda præcipimus & mandamus, salva tamen in præmissis nostra, Successorumque nostrorum Romanorum Pontificum, & ejusdem Congregationis Cardinalium Propagandæ Fidei auctoritate. Decernentes easdem præsentis Litteras, & in eis contenta quæcumque semper firma, valida, & efficacia existere & fore; suosque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere, & a vobis & illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sique in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem S. R. E. Cardinales, eorundemque Cardinalium Congregationes, & quovis alios quacumque præeminentia & potestate fungentes & sancturos, sublata eis & eorum cuilibet quavis alteri judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiti debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis sive sub Plumbo, sive in simili forma Brevis expeditis quoruncumque Prædecessorum nostrorum Litteris, & præsertim felicis recordat. Urbani Papæ VIII., quarum initium est: *Britannia non minus &c.* necnon: *Plantata in Agro Dominico &c.*, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus, necnon quoruncumque Ordinum, Congregationum, & Institutum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis, quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Animorum concordia commendatur Vicariis Apostolicis, & Missionariis in Anglia.

§. 26. Cæterum Vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, per Domini Nostri Jesu Christi charitatem, qui animas nostras pretioso Sanguine redemit, rogamus, & in Domino hortamur, ut non in contentione & æmulatione, sed induentes eundem Dominum Nostrium Jesum Christum, perficiatis opus vestrum. Ad cujus prosperi suc-

cessus auspiciam Apostolicam Benedictionem studiose nostræ voluntatis pignus Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, peramanter imperitur.

§. 27. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, & ab ejusdem Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum Præfecto, & Secretario pro tempore existentibus subscriptis, ac Stigillo ejusdem Congregationis munitis eadem pro suis fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel offerentæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Maji MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

Cajetanus Amatus.

Fides habenda transumptis.

Dat. Pont. Anno XIII. die 30. Maji 1753.

De Beneficiis & Officiis Curatis per Indiarum Occidentalium Regiones, Sæcularibus etiam Clericis, sublato asserto Regularium privato jure, conferendis: Apostolicæ Litteræ jam editæ (quas vide Tom. præced. num. 51.) confirmantur, & declarantur.

XVII.

### BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

CUM aliàs nempe de Anno millesimo septingentesimo quinquagesimo primo ex parte Charissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi VI. Hispaniarum Regis Catholici Nobis representatum fuisset, non eas adhuc in Indiarum Occidentalium Regnis, atque Provinciis ipsius Dominio subjectis rerum circumstantias subsistere, ob quas olim Sanctæ memoriæ Pius V., ad instantiam tunc existentis Catholici Hispaniarum Regis, aliique deinceps Romani Pontifices Prædecessores Nostri statuerunt, earum Regionum Parochias, Doctrinas, aliæque munia & Officia ad Animarum Curam pertinentia, per Regulares Personas obtineri, & administrari debere, quin immo Sæcularium Clericorum illarum Partium a multo jam tempore adeo & numero excrevisse, & moribus, atque doctrina conspicuum, proindeque ad obtinenda & gerenda ejusmodi munia idoneum se præbere, ut nihil jam ob stare videretur, quo minus earundem Parochiarum, Doctrinarum, aliorumque Officiorum provisió, & dispositio, ad eam, quæ generaliter per Orbem vigere dignoscitur, Ecclesiasticæ disciplinæ formam, prout non solum ipse Ferdinandus Rex, sed etiam Archiepiscopi, & Episcopi, per easdem Indiarum Regiones constituti magnopere optabant, revocari posset; Nos omnibus mature perpensis, quum Regiam hanc petitionem non modo generalibus Ecclesiæ Institutis, verum etiam prædicti Sancti Pii, aliorumque Pontificum Prædecessorum Nostrorum menti, ac sæpè declarato Sedis Apostolicæ sensui, conformem agnovimus; per Nostros sub Plumbo editas Litteras, quarum initium est -- *Cum nuper* -- datas apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLI. sexto Idus Novembris; Pontificatus Nostri Anno XII., decrevimus, atque permisimus, ut, non obstantibus dicti Sancti Pii V. Prædecessoris Litteris, aliisque in eorum confirmationem ab Apostolica Sede emanatis (quibus etiam, quatenus opus esset, expressè derogavimus) Sæculares etiam Clerici, seu Presby-

Catholici Regis aliàs proposita petitió.

Pontificis Decreta per Litteras Apostol. edita anno 1751.

teri quicumque, quos scilicet predicti Archiepiscopi, & Episcopi, alique locorum Ordinarii in Indiis Occidentalibus constituti, praevio examine, juxta ea, quae in Concilio Tridentino statuta sunt, idoneos & habiles reperissent, ad Parochias, Doctrinas, & alia quaecumque munia, & Officia ad animarum Curam pertinentia, in posterum admitti & assumi, eisque etiam Parochiales Ecclesiae hujusmodi, aliaque Ecclesiastica perpetua Beneficia, quibus Animarum cura imminet, in titulum conferri possent & valerent; prout in dictis Litteris Nostri latius continetur.

Catholici Regis propositum secularibus Clericis favorabile.

§. 1. Cum autem nuper idem Ferdinandus Rex Nobis exponi fecerit, quod ipse, cui ex juribus suae Regiae Coronae, Jus Patronatus, ac nominandi, & praesentandi ad omnia dictarum Regionum Beneficia Ecclesiastica, & Officia Curata hujusmodi ex fundatione, seu dotatione, aut Privilegiis Apostolicis actu vigentibus, aliisque legitimis titulis, competit, in dies magis magisque agnoscent ad rectum disciplinae Ordinem, & ad promovenda in Clero Saeculari dictarum Partium Sacrarum Doctrinarum studia, aliosque communis utilitatis effectus, magnopere proficuum fore, si Saeculares hujusmodi Clerici, seu Presbyteri ad omnia vel pleraque Beneficia & Officia praedicta, per ipsum, ejusque successores Catholicos Reges, nominentur, & praesententur, decreverit & constituerit, praedictis S. Pii V. aliorumque Romanorum Pontificum Indultis & facultatibus, in favorem Regularium, vel nullo modo, vel saltem parcissime, & in locis & casibus dantaxat, in quibus forsitan Saecularium Clericorum defectus re ipsa subsistere dignoscatur, in posterum uti; ideoque easdem litteras Nostras, novo ac perpetuo confirmationis Nostri munimine roboratas, uberius per Nos declarari, & ut infra, super his provideri desideret: Nos ejusdem Ferdinandi Regis supplicationibus inclinati, praesentium tenore, & auctoritate simili, primodictas Nostros Apostolicas Litteras, cum omnibus & singulis decretis & declarationibus in ipsis contentis, & expressis, perpetuo confirmamus, ac iterato Apostolicae auctoritatis Nostre robore communimus; decernentes, nullum in posterum jus, nullamque actionem, aut exceptionem, in vim praedictarum Litterarum Sancti Pii Papae V. aliarumque, ut supra, ab aliis Romanis Pontificibus editarum, praedictis Regularibus competere, ut si ve in petitorio judicio, si ve in possessorio, privatam facultatem obtinendi, & administrandi Parochias, & Doctrinas ejusmodi, aliaque Officia Animarum curam concernentia, sibi, suisque Ordinibus asserere, aut se in illarum illorumque possessione conservare possint; sed tam eos, qui nunc Parochias, Doctrinas, & Officia praefata obtinent, quam quibus forsitan in posterum ejusmodi Curata Beneficia, & Officia, servatis de jure servandis, committi, & demandari contigerit; tanquam ad nutum amovibiles, posse tum ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, tum etiam a propriis Regularibus Superioribus, justis concurrentibus causis, (super quarum subsistentia illorum conscientiam oneramus, sed nunquam illos ad earum declarationem, aut verificationem compelli posse volumus & decernimus), ab earundem Parochiarum, Doctrinarum, & Officiorum regimine & exercitio removeri; eveniente autem remotione, liberum fore Catholicis Regibus, alios quoscumque idoneos Saeculares, aut Regulares Clericos, seu Presbyteros, juxta legitima eorum Regii Patronatus jura, ad hujusmodi Curata Beneficia, & Officia nominare & praesentare, ac respective Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, hujusmodi Clericos, seu Presbyteros, praevio examine, aliisque servatis de jure servandis ad illa admittere & assumere, seu,

Ejusdemque nova instantia pro editarum Litterarum confirmatione, ampliatione, & declaratione.

Pont. annuendo declarat, nullum jus neque in petitorio, neque in possessorio, Regularibus competere ad Beneficia & Officia Curata Indiarum Occid. obtinenda, aut retinenda.

quatenus Saeculares fuerint, ipsis etiam in Titulum eadem conferre, & de iis providere.

§. 2. Volumus autem, ut omnes & singuli, cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam expressè nominandi, Regulares, qui hujusmodi Parochiarum, Doctrinarum, & Officiorum regimine & exercitio retinebuntur, seu quos ad eadem in posterum assumi, & admitti contigerit, (juxta ea, quae tam in citatis Nostri Litteris incipientibus - - Cum nuper - - , quam in aliis Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quadagesimo quarto, decimo Kal. Decembris editis, quarum initium est - - Firmandis, atque asserendis - - , a Nobis decreta & declarata fuerunt) noverint, se in iis quidem, quae concernunt eorum Regularis Instituti observantiam, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis nullatenus subiectos esse, sed a suis Superioribus Regularibus quoad haec privatè dependere. In his autem, quae vel ad ipsum spectant exercitium curae Animarum, vel etiam ad eorum vitam, & mores pertinent, Episcopis quoque, aliisque Ordinariis, nec non Vicariis, & Visitatoribus ab iis deputatis, aequè ac a suis Regularibus Superioribus in his omnibus judicari, & corrigi posse; & quidem ea lege, ut quatenus unus & alterius Superiorum hujusmodi judicium inter se non conveniant, Episcopalis seu Ordinariae Curae Processus, atque Sententia, Regularis Praelati judicio & actis omnino prevalere debeant; ac re ipsa praesententur, & executioni demandantur.

§. 3. Praesentes quoque Litteras, & in eis contenta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam ex eo quod quicumque in praemissis jus vel interesse habentes, aut habere praetendentes, cujusvis status, aut Ordinis, Congregationis & Instituti, etiam hic de necessitate specialiter exprimendi, existant, iisdem non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque Cause, propter quas praesentes emanaverint, satis adductae, probatae, aut verificate fuerint, de subreptionis, obreptionis, & iudicium etiam ad effectum obtinendae apertionis oris, aut restitutionis in integrum, adduci posse: Sed semper & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere & fore, sicutque plenarias effectus sortiri, & obtinere, ac illis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari, atque etiam ab omnibus, ad quos respectivè pertinet, & pertinet in posterum, inviolabiliter observari, volumus & decernimus. Sicutque & non aliter in praemissis judicari, & censeri per quoscumque Ordinarios, & Delegatos Judices, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, eorumque Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Legatos, seu Nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros; sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac etiam irritum & inane decernentes, quidquid ab eorum quolibet in contrarium judicari, & decerni, seu fieri, vel ignoranter attentari contigerit.

§. 4. Non obstantibus praedictis Sancti Pii V., aliisque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum in eorumdem confirmationem etiam in forma specifica, editis Litteris, Nostraeque, & Cancellariae Apostolicae regula de non tollendo jure quaesito, aliisque Apostolicis, seu in universalibus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis, generalibus aut specialibus

Constit.

Regulares hujusmodi Parochias, vel Officia Praepositi, quibus in rebus Superiori Regulari private subiciantur.

In quibus autem Ordini jurisdictioni & correctioni cumulative substat. Ordinarium praerogative, in casu discrepantiae judicii.

Superioris auctoritate confirmantur.

Aliter iudicari prohibetur.

Contrariis amplissime derogatur.

1753

1753

Constitutionibus, & Ordinationibus; nec quarumcumque Ecclesiarum, seu Ordinum, Congregationum, & Institutum, etiam specialiter exprimentorum, quantumvis juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut sub quibusvis formis, & verborum tenoribus, seu clausulis, & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & de Apostolica potestate plenitudine, seu consistorialiter, aut ad Regum, aliorumque Supremorum Principum instantiam, vel peculiarium quorumcumque meritorum intuitu, aliove titulo, etiam oneroso, quibuscumque personis, Collegiis, Locis, Ordinibus etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, vel Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, ac plurius confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores, formas, causas, & occasiones praesentibus pro expressis, insertis, & specificatis habentes, pari modo, & Apostolica auctoritate plenitudine ad praemissorum effectum plenissime derogamus, eaque respective, quantum praesentibus adversantur, de medio tollimus & abolemus per praesentes. Quarum Transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eandem fidem ubique Locorum & gentium, in iudicio, & extra, haberi volumus, quae eisdem praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Transumptum fides.

Sanctio.

§. 5. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis, Declarationum, Decretorum, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum in Arce Gandulsi Albanen. Diecesis Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, quinto Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

Dat. die 9. Junii 1753. Pont. XIII.

Pro D. Card. Passione  
J. Florius Substitutus.

J. Datarius.

VISA  
De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

XVIII.

Venetiarum Reipublicae conceditur Jus nominandi ad Ecclesias Torcellanam, Caprularum, & Clodiensem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SINCERITAS Fidei, & devotionis affectus, quibus dilecti Filii Nobiles Viri Dux & Respublica Venetiarum erga Catholicam Religionem, & Ecclesiam Romanam omni tempore se se conspicuos praestiterunt, quibusque recentia zeli ac pietatis sua argumenta, non sine filialis in Nos observantiae, significationibus, addiderunt; Nos quodammodo impellunt, ut ea ipsis favorabiliter concedamus,

quae ab Ecclesiarum utilitate, quemadmodum pro certo confidimus, minime sejuncta, ad meritum eorundem honoris augmentum pertinere, & publicis eorum votis salubriter respondere conspiciamus.

§. 1. Cum itaque ipsi, quibus ex Apostolico sel. rec. Praedecessoris Nostri Pii Papae IV. Indulto, cui non est haecenus in aliquo derogatum, & ex antiqua consuetudine, jus competit, ad Patriarchalem Ecclesiam Venetiarum, quoties illam vacare contingat, nominandi & praesentandi Nobis & Romano Pontifici pro tempore existenti Personam idoneam, per Nos, seu per Romanum Pontificem hujusmodi, ad eandem Patriarchalem Ecclesiam pro tempore etiam promovendam, eique praeficiendam, Nobis humiliter, & enixe supplicari fecerint, ut Indultum etiam nominandi ad tres infra scriptas Cathedrales Ecclesias, Torcellanam nempe, Caprularum, & Clodiensem, in earum vacationum casibus, futuros illarum respective Episcopos, ipsis concedere dignaremur.

§. 2. Nos attendentes, pro eo quod pertinet ad primordiam Torcellanam Ecclesiam, quod olim destructa Altinenfi Civitate, ejusque Episcopali Cathedra, & Sede Torcellum translata, nova Cathedralis Ecclesia ibi per bo. mem. Petrum tunc Venetiarum Ducem aedificata, ac etiam Episcopo ibidem de congrua habitatione provisum fuit; alterius vero, Caprularum videlicet, Ecclesiae initia ex eo derivari, quod olim existens Concordiensis Episcopus Joannes nomine a sua Civitate profugus, propterea quod schismati adherere noller, in eo Oppido exceptus, Episcopalis Sedis ibidem statuendae commodum obtinuerit; ac demum, quod spectat ad Clodiensem Ecclesiam, hujus constitutionem praecipue acceptam referri bo. mem. Ordeleto Faletrio Venetiarum pariter Duci, cujus favore & auxilio factum est, ut, quum Insula Metamauci, vulgo *Malamocco*, marinis fluctibus submersa fuerit, illius quondam Episcopus in Flosa Clodia consistere, ibique Episcopalem Sedem stabilire potuerit.

§. 3. Cumque etiam debita consideratione pensare non omiserimus, quod paucis abhinc mensibus, quum quidam schismaticus Papas Simon Conzacovich nuncupatus, a schismatico Graecorum Pseudo-Patriarcha in Dalmatiam missus fuisset, ut ibi Sedem figeret; id quod, si forte evenisset, in magnam Sanctae Catholicae Religionis nostrae perniciem, & grave Apostolicae Sedis praedictae, cum intolerabili Latinorum Episcoporum perturbatione cessisset, quemadmodum Nos praedicto Duci & Senatoribus, tum a dilecto Filio Nobili Viro Petro Andrea Cappello Equite ejusdem Reipublicae apud Nos & Apostolicam Sedem Oratore; tum etiam a Venerabili Fratre Archiepiscopo Chalcedonensi, Nostro & ejusdem Sedis Nuntio apud ipsam Venetam Rempublicam constituto, representari curavimus; publico ac solemniter Senatus Decreto, eidem schismatico Pseudo-Pastori denunciatum fuit, ut a praedictis Dalmatiae Regionibus sine mora abscederet.

§. 4. His omnibus mature perpensis, ac etiam Paterna Nos impellente affectione, qua eandem inclytam Venetorum Rempublicam ex animo prosequimur; praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. ad effectum &c. censentes; praesentium Litterarum tenore, ac de Apostolica auctoritate plenitudine, non modo praefatum jus nominandi, & praesentandi ad Patriarchalem Venetiarum Ecclesiam pro tempore vacantem, prout aliis per dictum Pium IV. Praedecessorem eisdem Duci & Reipublicae concessum fuit, confirmamus & innovamus; verum etiam eisdem, in sinceritate Fidei, & dictae Romanae Ecclesiae devotione persistentibus,

Jus nominandi ad Ecclesiam Patriarchalem Venetiarum Duci & Reipublicae concessum a Pio IV.

Indultum hujusmodi petitur pro tribus Ecclesiis Patriarchae Suffraganeis.

Venerorum Ducum & Reipublicae antiqua merita in eadem Ecclesia.

Idem nuper, intate Pont. Catholicae Religionis indemnitati in Dalmatia consuluerunt

Confirmatur Indultum Pii V. pro Ecclesia Patriarchali Venet.

Et novam conceditur quod tres praedictas Cathedr. Ecclesias.

ut,